

144

# REVERENDISSIMO IN CHRISTO PRIN-

CIPU, AC DOMINO, DOMINO LEONI EPISCOPO  
FRISINGENSI, DOMINO SVO PLVRIMVM  
OBSERVANDO. S.

Accipe fata tui, quam maxime Præsul, amici:  
Inter præcipuos qui tibi primus erat.  
Et licet infandum renouent hæc fortè dolorè,  
Contigit ex tanti qui tibi morte Viri.  
Attamen ignoscas nostro meritoq; labori,  
Pro solita ueniam dexteritate dabis.  
Quod tu si facies: nullum me temporis æuvm  
Tam magni referet præsulis immemorem.

## EPICEDION CLARISSIMI VIRI Volfgangi Hungari I. V. Doctos ris. R. Frisingensis Episcopi Can- cellarij à Baldasaro Conradino conscriptum.



ic, furor in doctos adeo quis cõcitat iram  
Ostygis, o noctis perfida progenies?  
Sæper ut immitti claudat sua funera casu  
Et uenit ante suū mors, pperata diem?  
Estis uos Parce? quib. aut est tãta cupido,  
Sternere luctificatã graue morte genus?

Cur non in Geticos stis hæc furit atra tyrannos  
Et rapit Aethnaïmonstra ferina iugè  
Aut ea sacrilegos cur non grassatur in hostes?  
Clades qui miseris exitiumque ferunt.  
Parcere uos doctis, & quorum uita probatur,  
Hoc monuit nomen, iuraque uestra iubent.  
Vos autem longos illis promittitis annos:  
Nescitis unanimes tardaque fata colu.  
Et quos fera decet longinqui temporis atas:  
Hos rapitis nulla dexteritate uiros.  
Sicut & Oenisonis nuper productus ab undis  
HVNGARVS heu uestra Vir pius arte cadit.  
Et temere atroci rapuistis funere doctum:  
Qui tulit ante diem fata sinistra suam.  
Quem modo Salsiferi deplorant undique montes:  
Alpinis meret totus & OEnus aquis.  
Et pater Isaridos prospexit mestus ab ulnis,  
Compleuit lachrimans annis utrumque latus.  
HVNGARVS en nostris quo uix est maior in oris  
Gloria Casarei, Bauaricique fori.  
Occidit iniusta fatorum cede peremptus:  
Fortuna dignus qui meliore fuit.  
Nondum lustra decem sua firmior attigit atas,  
Cæperat & senio prosperiore frui.  
Sed ueluti nimio si quando fertilis arbor,  
Rumpitur ex fructu, sic cadit ille suo.  
Aut ubi iam segetis bona spes effulsa colonis,  
Terribili in media fulmine mense perit.  
Nam modo quid prodest teneris ubi doctus ab annis,  
Ardua quod magno damna labore tulit.

Diuite Palladias cecinit quod carmine Musas,  
Fontis & Aonij Claustra secutus erat.  
Ingenuas septem studio sectatus & artes,  
Quas odio nostrum iam rude uulgus habet.  
Dumque alij tristi transmittunt otia somno,  
Siccant & gelido pocula multa mero.  
Semper hic eximia Virtutis castra subiuit,  
Excoluit ueras atque petiuit opes.  
Ac animum solis rebus sacrauit honestis  
Viuat, ut in multastam bona fama locis.  
Aut ueterum cupide lustrauit carmina Vatum,  
Legit & historica praelia scripta fide.  
Et te mellifluo uerborum flumine Tulli  
Expresit: quoties iura petita dabat.  
Cuius & ornato quondam sacundia cultu  
Claruerat Latio Graiugenumque foro.  
Abdita natura penitus secreta peregit  
Scandit & in superas cognitione domos.  
Vidit & Arctoo uolitant que signa sub axe,  
Quoue nitent cursu sidera quoue cadunt.  
Ducitur almus equis quo tramite Phœbus Eois,  
Luna suas mutet qua ratione uices.  
Aut quibus austerus Boreas demittitur alis  
Qua uel parte nocens frigora densat hyems.  
Iunxit & humanis celestia dogmata rebus,  
Et pura coluit simplicitate Deum.  
Profuit at nihil hæc teneris sciuisse sub annis,  
Artes ingenio & tot superasse suo.  
Cum nunc ante suos ueluti bona uinea fructus,  
Quas itasque diu concidit inter opes.  
Quid iuuat Ausonias tanta quoque laude professum  
Leges: & titulos Iustiniane tuos.  
Hoc bene uisera testantur moenia Spire,  
Quam prudens gemino iure senator erat.  
Dicite Danubij colitis, que iugera Nimphæ  
Quantus hic in uestra Doctor & urbe fuit.  
Que Bauaras inter nimium caput extulit urbes  
Martis, & ingenuæ Palladis arte potens.  
Hic gremio quoniam uestro processit alumnus,  
Non leuis & uestri lausque decusque Chori.  
Dicat & Antistes celebri qui præsidet urbi,  
Isara sub cuius uertice lambit agros.  
Qua populi grauitate sui tractauit habenas  
Ciuibus & quantum præsidiumque dedit.  
Hic quoties scelerum uindex, & tutor honesti,  
Scripsit pro miseris debita iura reis.  
Omnes quam uigili res, sic quoque tempora rerū  
Disposuit cura: poscit ut officium.  
Ille sed hæc modo deridet præconia laudum  
Despicit & quidquid totus hic orbis habet.  
Nec petit immodicos luctus, tetricosq; dolores  
Nam dolor aut lachryme non mala fata mouent.  
Nec profum fatuæ defuncto luce querere  
Tristia nec uitam carmina restituunt.  
Præterit attamen hiæc aliquis si forte Viator  
Aspicit & tanti uilla busta, uiri.  
Dicat. Sit tibi sancta quies, multosque per annos  
Siderio felix umbra quiesce throno.  
Donec ad extremum ueniet Deus arbiter æuvm  
Cuilibet ut meruit, qui sua dona dabit.

## EIVSDEM EPITHA. PALLA QVÆDAM

HVNGARVS hoc corpus posuit mortale sepulchro  
Qui duplici doctor iure disertus erat.  
Floribus aonij iuuenilia tempora cinxit  
Atque Meduseis ora rigabat aquis.  
Non pereunte sacras quoque nomine tradidit artes:  
Que fugunt sola desitiuntque rogos.  
Ac studuit magna perplexa uolumina laude  
Iuris: & Ausonij sacra statuta fori.  
Ex quibus ingenij decus immortale parauit,  
Et uacuum prorsus nomen ab interitu.  
Esset ut imperij, meruit sua fama Senator  
Raraque Spirensis gloria iudicij.  
Hic Ingolstadij tali est quoque iure professus  
Eloquio: culti quale Periclis erat.  
Publica quo potuit defendere commoda pacto,  
Viribus incubuit tempus in omne suis.  
Ac si disidijs flagrabat otia. Sepe  
Pro trepidis dixit ciuica iura reis.  
Boiorumque Ducum gratus consultor in aula  
Pontificij: (sacer Corbiniane,) tuo.  
A quo Vindelicam fuit hic ubi missus in urbem,  
Imperij toto conueniente statu.  
Occidit ante diem: quem nunc hæc condidit urna,  
Huius & exiguo puluere membra tegit.  
Mens sed in ætherea, superis cum, sede triumphat,  
Suauiter in Christi dormit & umbra sinu.

## ALIVD EIVSDEM.

HVNGARVS eximium iacet hæc tumulatus harena  
Casarei iuris, Pontificijque decus.  
Spiritus at superum letus dominatur in arce,  
Ciuis siderei gaudet & esse chori.

## ALIVD.

Volfgangus situs est hoc HVNGARVS ecce sepulchro,  
Magnus & ingenio, magnus & eloquio.  
Ciuica qui populo solerti tradidit arte  
Sacræque Pontif. cum iura professus erat.  
Sed nunc in Christi tranquilla pace quiescit,  
Donec in hac iterum carne resurgat homo.

## HVNGARVS DE SE IPSO.

Principibus carus, titulis insignis & arte  
Doctor utroque simul iure peritus eram.  
In putrida iaceo rude iam tellure cadauer  
Heu cecidi, meus et concidit omnis honor.  
Et nisi uirtutis mea fama uolasset in orbem,  
Supprimeret prorsus me modo longa quies.



